

sequatur. Volumus eciam, quod super quacunque causa, coram nobis vel coram maiore ville emergente, produccio testium de extraneis, nisi de eadem villa, impetitori non committatur, sed iuramentum ipsis ciuibus indicetur. Preterea quisquis extraneus, siue ciuis eiusdem loci, in ipsa villa contra alium pre ira gladium seu cultellum euaginet, & hoc cum testimonio probaretur, vel quis vulnus non mortiferum afficiet, iudicio vnus marce condempnetur. Quisquis igitur casu accidente suum interfecerit conciuem, centum pensis, ex quibus due partes parti aduerse, tertia vero pars maiori ville solui teneatur, et nisi homicida pecunia sua se defendet, caput eius ad manus partis aduerse statuatur. Fur autem et calumpniator manifestus, contra quem communis populus faceret testimonium, ablati omnibus, que habet, de villa expellatur cum pudore. Decedentes autem sine heredibus, omnia bona sua relinquunt cuicunque uolunt retinenda. Ipsi etenim ciues ad exercitum bani, uel Regis, aut Iudicis sui ire non tenebuntur, nec alicui ipsorum uis domorum suarum, nec a familia nostra, neque ab alijs inferatur, sed quem uolunt hospicio recipiant voluntarie. Preterea maior ville, reuoluto anno villicacionis sue, suam debeat reponere villicationem, & si communis populus uoluerit, eidem villicacio conferatur, sin autem alteri cui uoluerit, ipsa conferatur villicacio. Si quis igitur ad ipsam villam venire uoluerit, libere veniat, recedat etiam secure, venditis bonis suis, qui recedere uolunt ab eadem. Volumus eciam, quod homines, qui marturinas soluere solent, ad ipsam villam non recipiantur. Item super causa pecuniaria, si quis conuincetur, quadraginta denarios pro iudicio soluere tenebitur. Preterea ipsi ciues tributum in foro non soluent de suis mercimoniis. Assignauimus eciam terram eisdem de superiori parte ville Crisiensis, quam nos personaliter inspeximus & per Georgium Comitem Crisiensem, atque Pelsam terrestrem metari facientes, de quorum uerbis ipsam terram taliter distingui repperimus. Videlicet: prima meta incipit a magna via de vico eiusdem ville, ubi de oriente egrediens ad occidentem peruenit ad fluuium Corusca ad salicem, transiens autem ipsum fluuium, ascendit montem, in cuius vertice est meta terrea. Item descendit ad vallem, ad fluuium, ubi iuxta ipsum fluuium sub erulo est meta terrea. Inde ad pomum, inde ad harazt, ubi est meta, inde ad duo cerasa. Inde autem transiens quendam fluuium peruenit ad tiliam. Inde ad montem, ubi est arbor populea. Inde ad occidentem ad vnum fluuium, et per illum fluuium superius eundo, cadit in magnam viam, que ducit ad sanctum Micaelem, inde per eandem viam magnam vadit ad fontem Tetrench nomine, ubi est arbor ulmi, inde per eundem fontem superius ad septemtrionem, iuxta terram Zuene, iobagionis castri Crisiensis, per metas veteres, inde iuxta terram Tiburcij, per eundem fontem superius peruenit ad caput eiusdem fontis, ubi sub erulo est meta. Inde iuxta terram eiusdem Tiburcij eundo, peruenit usque terram de Komluk. Inde iuxta terram de Komluk eundo, cometur terre domus sancti sepulchri de Golgonicha. Inde versus orientem coniungitur terre domus Templi de Golgonicha. Inde eundo coniungitur terre wlchote, ubi est meta. Inde iuxta terram wlchote, per vnum fontem, descendit per metas, et de fonte exit ad pirum. Inde de piro ad magnam viam, ubi est meta. Inde directe veniendo, peruenit ad arborem nucum. Inde transit fluuium vrtelen & peruenit ad priorem metam, ubi fuit incepta, ibique terminatur. Vt autem huius ville libertas inconcussa permaneret, literas presentes duximus eisdem concedendas. Datum in festo Sancti Georgij anno domini M^o CC^o LII. Nos siquidem prelibate ville libertatem per iam dictum